

2a Julii  
In Visitatione BMV  
HYMNUS AD LAUDES

Quo levi gressu properas, Maria?  
Ecce nascuntur violae crocique,  
planta ubi terram tua tangit alma  
solibus ustam.

Non tibi fetu gravidae sacrato  
callis obstabat iuga per vepresque;  
lumen agnatae pietate mota es  
visere Elisae.

Mense quae sexto suum onus beatum  
baiulat non iam sterilis vocanda.  
Chorda uti chordam recinit propinquam  
ceu simul ictam,

sic recens natam Synagoga cana  
proximantem Ecclesiam ovans salutat  
hymnum anus hymno resono sonorum  
exsuperantem.

Virgine audita crepuisse postes,  
cardine ex firmo saluisse portam  
arbitror, tecto cecinisse carmen  
dulce columbas.

Et puer claustris uteri rebellans  
“Lux adest!” inquit, “tenebris quid insum?  
Vincla qui solves, mea solvis!” alvo  
subsiluitque.

Ut tua possem celebrare Vivum  
laude sollemni Dominum, Maria!  
Per tuum os Uni Triadi sonos da  
crescere nostros!

Amen

JOHANNES GEORGIUS BERTRAM